



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

IV. Vt pro chrisma episcopus nihil accipiat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ANNO
 CHRISTI
 572.

III.

Placuit, vt de ordinationibus clericorum episcopi munera nulla suscipiant, sed, sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et non aliquo precio gratia Dei & impositio manuum venundetur: quia^h antiqua definitio patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens: Anathema sit danti, & accipienti. Propterea, quia aliquanti multis sceleribus^{*} obruti, sancto altario indigne ministrantes, non hoc testimonio bonorum actuum, sed profusione munerum obtinent: oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonium, clericos ordinare.

IV.

Placuit, vt modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia^{*} singuli tremisses pro ipso exigi solent, nihil vltius['] exigatur: ne forte quod pro salute animarum per inuocationem sancti Spiritus consecratur, sicut Simon magus donum Dei pecunia^{*} emere, ita nos venundare damnabiliter videamur.

i. qu. 1. Placuit, vt nullus. Materia chrisimatis est balsamum cum oleo. Ita Gregorius papa exponens illud Cantici: Botrus Cypri. Act. 8.

V.

Placuit, vt quotiens ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopi inuitantur, non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirant; sed si ipsi quidem aliquid ex suo voto obtulerint, non respuatur. Si vero aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantum vnusquisque episcoporum meminerit vt non prius dedicet^{*} ecclesiam aut basilicam,^k nisi antea dotem

* sed ipse fundator siquidem aliquid ex voto suo obtulerit,

* ecclesia, nisi